

natura rei satis patet notabile detrimentum subdito e denegatione, importuna inquisitione vel exhibita molestia oriri posse. Attamen si morali certitudine constaret Superiori non adesse ullam gravem necessitatem (quod tamen non nisi raro constare poterit), denegatio vel impatientis animi manifestatio leve peccatum non excederet. (Meynard, in hoc Deer. p. 68)

4° Quinam sacerdotes vocari possint tamquam extraordinarii confessarii, in singulis dioecibus, e dispositionibus Ordinarii eruendum est. (1) Unum ex illis eligere non pertinet ad Superiorem, sed ad subditum petentem. (Resp. cit. an. 1891)

5° Nequeunt moniales hoc favore uti constanter, ita ut jam ordinarium confessarium non adeant. Si quando abusus hujusmodi praesertim in majorem communitatis partem irreperet, Ordinarius deberet monere moniales illas, facultatem Decreto 17 Dec. 1890 concessam, constituere tantum exceptionem legi communi pro casibus dumtaxat verae et absolutae necessitatis, firmo remanente quod a S. Conc. Trid. et Const. *Pastoralis* Bened. XIV praescriptum sit. (Resp. cit. an. 1892)

#### § 8. DE JURISDICTIONIS LIMITATIONE PER CASUUM RESERVATIONEM.

##### Punctum I. De natura et extensione reservationis.

**342. I.** Reservatio est negatio jurisdictionis circa aliquod peccatum : quod proinde dicitur **casus reservatus**. In Ecclesia vigere potestatem concedendi jurisdictionem ita limitatam, ut atrociora quaedam et graviora crimina tantum a R. P. vel episcopis absolvi queant, eamque limitationem vim habere non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo, definivit Trid. (Sess. 14. c. 7. et c. 11) et probare solent Dogmatici.

**II. Potestatem reservandi** casus per se habent ii omnes et soli qui ordinariam jurisdictionem in foro poenitentiali obtinent : nempe R. P. in universa Ecclesia, episcopus in dioecesi sua, alii qui jurisdictionem quasi-episcopalem exercent, neque ulli Ordinario subsunt, erga suos subditos, ex. gr. abbates *Nullius*, praelati Regulares. Parochis eadem videtur per se competere, quatenus delegare possunt jurisdictionem suam ordinariam cum aliquorum casuum limitatione. Sed vix jurisdictionis delegandae occasionem hodie nanciscuntur (n. 327, IV). et etiam

(1) In archidioec. Mechl. idonei sunt omnes Canonici Capituli Metropolitanii, Decani et confessarii ordinarii vel extraordinarii alicujus conventus monialium. Cfr. *Instructions adressées aux commun. des religieuses*. (1874), c. 2. nn. 4 et 6.

tum hujusmodi limitatio frustranea foret, cum eorum paroecianos ab iis casibus absolvere posset quilibet confessarius ab Ordinario approbatus.

Hac potestate uti debent Superiores ecclesiastici, ita ut sit in aedificationem, non in destructionem. (Trid. l. c.) Quare, e communi sententia, graviter peccant qui, sine rationabili causa, casus reservant. (S. Alph. n. 579) Universim autem magnam moderationem in casibus reservandis S. C. Ep. et Reg. episcopis commendavit (cfr. Bened. XIV, de Syn. l. 5. c. 5), ne nimius sit reservationum numerus, et praesertim, ut ea tantum peccata reserventur quae, juxta Trid. verba (l. c.), sint *atrociora et graviora crimina*. Immo, ad compescendos abusus quorundam praelatorum Regularium, Clemens VIII (Const. *Sanctissimus* 26 Maii 1593 ; Coll. Bizz. p. 274 seqq.) decrevit, ut nullus ex iis sibi reservet propria auctoritate alios casus praeter undecim quos ibidem enumerat. Quodsi aliquod aliud peccatum reservandum existimaverint, id non aliter fiat quam generalis capituli in toto Ordine, aut provincialis in provincia, matura discussione et consensu. Hanc constitutionem extendi etiam ad censuras reservatas, declaravit S. C. Ep. et Reg. 7 Jul. 1617. (Bened. XIV, l. c.) Notandum autem undecim illos casus Clementinos non esse reservados apud Regulares, nisi quatenus id generali lege vel particulari Superioris dispositione in singulis Ordinibus statutum sit.

**343. III.** Ut peccatum aliquod sit reservatum, requiruntur sequentes condiciones :

1° Ut sit *mortale*. Nam peccata venialia, sive ob parvitatem materiae, sive ob imperfectum consensum, frustra reservarentur, cum nulla sit obligatio ea confitendi. Ideo venialium reservatio, licet absolute loquendo non repugnet, aliena est ab Ecclesiae praxi.

2° Ut sit *externum*. Sane absolute loquendo, potest Ecclesia peccatum mere internum reservare. Sed merito a tali reservatione abstinere solet, eo quod communiter deest illa spiritualis utilitas quae ad prudentem reservationem necessaria est : si enim reus peccatorum internorum non emendabitur, cito progredietur ad peccatum externum. (Lugo, disp. 20. n. 14) Haec autem condicio ita intellegenda est, ut actio mala gravis sit quatenus externa est. Igitur, si reservatur peccatum grave contra castitatem, justitiam, etc., quod in actum externum prodierit, non sunt censenda reservata levia turpiloquia vel tactus leviter turpes, detractiones exiguum damnum inferentes, etc., quamvis ex interno affectu graviter malo procedant.

3° Ut sit *opere consummatum*. Scil. requiritur ut verba reservationis in sensu suo stricto verificentur, eo quod reservatio odiosa est ideoque et strictae interpretationis. Ita, sicubi reservatur incestus vel sodomia, non incurritur casus reservatus si semen extra vas effusum fuit. Cfr.

Vol. I. n. 402. Hoc tamen non impedit quominus reservari possit peccatum quod non sit in sua specie consummatum, ex. gr. tactus impudicus, dummodo actus exterior per se peccatum grave constituat.

Aliqui AA. existimant casus reservatos non incurri ab impuberibus, sicut ab iisdem non incurruntur censurae. Communiter haec sententia rejicitur. (Lugo, l. c. n. 10) Sed quandoque episcopi declarant hanc esse mentem suam de casibus a se reservatis. Videsis Stat. Mech. n. 270.

**344. IV.** Praecipuum **discrimen** inter casus reservatos inde oritur quod alii cum censura, alii absque adnexa censura statuuntur.

In praxi, casus cum censura reservati iidem fere sunt ac reservati a R. P. Nam unus tantum casus proprie reservatur a S. Sede sine censura, vid. calumniosa denuntiatio de crimine sollicitationis in confessione. Cfr. n. 400. Addunt multi cum S. Alph. (n. 580) : acceptionem munerum a Regularibus utriusque sexus mortaliter malam (n. 96) Verum haec non est proprie dicta reservatio. Absolutio enim dari potest a quolibet confessario, si jam facta est restitutio, vel, ubi poenitens nequit restituere, si serio promittit se, cum poterit, restitutum esse. Si summa valorem decem scutorum non attingit et tamen grave peccatum constituit, absolutio dari poterit, dummodo saltem pars, ad arbitrium Majoris Poenitentarii, restituta sit. (Innoc. XII, Const. *Romanus Pontifex*. 1692)

Casus vero reservati sine censura solent fere iidem esse ac reservati ab Ordinario. Nam plerique Ordinarii paucos omnino casus cum censura reservant, si excipias tria peccata quae a S. Sede adnexam habent excommunicationem Ordinario reservatam. Cfr. n. 607 seqq.

**V.** Quando casus reservatus est a R. P. **cum censura**, communis est sententia DD. (S. Alph. n. 580) reservationem non incurri ab iis qui censuram ignorabant. Nam casus papales principaliter reservantur propter censuram a qua regulariter excusat ignorantia. (n. 570)

Idem probabilius tenendum est, cum D'Annib. (l. n. 340), Ball. P. (n. 725 seqq.), etc., de casibus qui ab episcopo cum censura reservantur, nisi forte episcopus diserte contrarium statuisset. Communior quidem sententia cum S. Alph. (n. 581) tenet in his non excusare ignorantiam, quia in episcopalibus casibus principaliter et per se reservantur casus, ut liquet e ratione qua in tabella ab episcopis adnotantur : *Casus reservati quibus est adnexa excommunicatio*. Sed haec ratio infirma est. Sic etiam in Jure dicitur fundus *nexus pignori* (L. 2. de Curat. furios. dan.) et res *pignori nexae* dicuntur (L. 22. de Jure Fisci) : nec tamen ullus propterea dicit fundum vel rem accessoria pignori. (D'Annib. l. c. nota 25) Deinde vix non absurdum est graviore poena coerceri peccata quae casibus episcopalibus reservantur, quam peccata multo graviora quae cadunt sub censuras papales.

**345. VI.** Quando casus reservatus est **sine censura**, plurimum controvertitur num illum incurrant reservationem ignorantes.

Negant quidam, ut Salmant. (tr. 18. c. 6. n. 12), Roncaglia (de Poenit. q. 7. c. 2. q. 4), Ball. P. (n. 727 seqq.), vel theoretice, vel saltem ita ut practice tutum existiment absolvere, sine speciali facultate, eum qui ignoret reservationem. Nituntur praecipue hac ratione : reservationem esse poenam statutam ut illius metu fideles a gravioribus peccatis cohibeantur. Atqui eam ignorans nequit ejus metu deterreri, ac proinde pro eo cessat adaequate reservationis finis. Ne tamen haec sententia sua fere omnis vis reservationis enervetur, advertit Ball. P. (l. c.) poenitentem, qui peccatum reservatum commisit, de reservatione monendum esse, ut per eam in posterum cohibeatur. Affirmat vero sententia longe communior, cum S. Alph. (n. 571) Horum ratio praecipua est : non cessare adaequate finem legis, ac proinde nec ipsam legem. Finis enim reservationis non est tantum ut fideles a culpis gravioribus absterreantur, sed etiam ut recipiant a superioribus poenitentias et monita ac remedia opportuniora, quae nonnisi a prudentioribus applicari expedit.

Practice sententia posterior servanda videtur, neque absolventi sunt qui peccatum reservatum inscii reservationis admisere, nisi specialis facultas obtenta fuerit. Nam, ut recte advertunt Palm. (Ball. P. in nota ad n. 732) et Lehm. (II. n. 407) : ii certe absolvi nequeunt si episcopi reservationem ita promulgant, ut satis pateat eos velle ut etiam ignorantes afficiat. Jamvero hanc esse eorum mentem praesumendum est, eo quod sententia S. Alph. communiter et passim tenetur. Altera tamen sententia in praxim deduci posset, si aliam esse episcopi mentem pateret, ex. gr. quia sententiam illam sciens volens publice doceri sineret, vel si e tenore reservationis constaret eam tantum imponi in poenam gravioris sceleris. Ob hanc posteriorem rationem absolvi posset qui, Pontificiae reservationis inscius, calumniosam denuntiationem contra sacerdotem instituisset. Hanc enim reservationem esse imprimis poenalem, clare indicat Bened. XIV (Const. *Sacramentum Poenitentiae*), dum illius scopum esse dicit : " Ut tam detestabile facinus metu magnitudinis poenae coerceatur. " Cfr. n. 400.

Certe in Ordinibus religiosis, ob praxim quam testatur Lugo (disp. 20. n. 9) eique conformem praelatorem mentem, absolvi nequeunt cum simplici jurisdictione qui reservationis ignari peccatum reservatum admisere.

**VII.** Reservationi episcopali non subjacent Regulares exempti, neque eorum novicii aut familiares. (n. 338) Idem cum S. Alph. (n. 602) tenendum de monialibus exemptis, etiam in iis rebus in quibus, ut in clausura, habentur tamquam non exemptae, siquidem exceptio illa probabi-

liter ad forum externum unice spectat. Similiter dicendum de vagis : quippe qui non teneantur specialibus legibus locorum per quae transeunt. (Vol. I. n. 96) Tandem probabile est non teneri reservatione eum qui peccatum in sua dioecesi reservatum committit extra territorium, vel qui in aliena dioecesi committit peccatum ibi reservatum. Ratio prioris est : statuta dioecesana extra territorium non obligare ; posterioris : peregrinos non teneri legibus locorum per quae transeunt. (Ball. P. nn. 737 et 739)

**Punctum II. De absoluteione a casibus episcopo reservatis. (1)**

**346. I.** A casibus reseavatis **absolvere possunt** : 1° Potestate ordinaria, qui reservationem statuit ejusque successor, vel superior qui jurisdictionem in subditos inferioris habeat. — 2° Potestate delegata, qui ab uno ex illis specialem hanc facultatem accepit.

Nullus confessarius, etiam Regularis vel praeditus facultate ad absolvendum a casibus Pontificiis, potest valide vel licite absolvere a casibus quos sibi episcopus reservavit, nisi specialem facultatem obtinuerit. Controversiis quae de hoc argumento movebantur, praesertim ob privilegia Regularium, finem imposuit Clemens X Const. *Superna*, qua declaravit : “ Ex facultatibus per *Mare Magnum* aliave privilegia Regularibus ejuscumque ordinis, instituti aut societatis, etiam Jesu, concessis, factam eis non esse potestatem in casibus ab episcopo reservatis... Et habentes facultatem absolvendi ab omnibus casibus Sed. Ap. reservatis, non ideo a casibus episcopo reservatis posse absolvere. ”

**II. In articulo mortis nulla est reservatio.** “ Atque ideo sacerdotes quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt. ” (Trid. Sess. 14. c. 7) Si quis ergo in hoc articulo absolutus est a casu reservato sine censura, nullam specialem obligationem jam ex hoc capite habet, quia de nulla constat. Quid tenendum sit ubi absolutus est a censura reservata, dicitur n. 574.

Cum nulla sit reservatio in eodem articulo, potest moribundum absolvere simplex sacerdos, etiam praesente eo qui specialem potestatem habet in casus reservatos. (Gury, II. n. 579)

(1) Solent AA. simul agere de absoluteione a casibus episcopalibus et a casibus Pontificiis. Attamen, cum S. Inqu. ab anno 1886 specialem normam in absoluteionem casuum Pontificiorum sequendam tradiderit, praestabit hic agere unice de casibus episcopo reservatis, quorum absoluteio hac norma recentiore non regitur. Quae de absoluteione a casibus R. P. reservatis dicenda sunt, commodius in tr. de Censuris (n. 573 seqq.) explicabuntur : omnes enim, uno excepto (n. 344), censuram adnexam habent.

**347. III.** A casibus reservatis absolvere potest **simplex confessarius** eos qui Superiorem adire non possunt sine magna difficultate, et causa urgente premuntur, qualis esset : si, ex omissa confessione vel communione, timeretur infamia vel scandalum, si poenitens secus diu in statu peccati mortalis manere deberet, etc. (S. Alph. n. 585)

Ambiguum est utrum haec absoluteio reservatorum a simplici confessario, extra mortis articulum data, directa sit an indirecta. Nempe *directa* vocatur ea qua immediate tollitur peccatum, quia tunc in ipsum peccatum dirigitur sententia judicialis ; *indirecta*, ea qua peccatum tollitur tantum mediante infusione gratiae sanctificantis, quae per absoluteionem confertur, quia tunc sententia sacramentalis, nequit dirigi in ipsum peccatum. Discrimen practicum est : nam peccatum indirecte tantum remissum manet materia necessaria sacramenti poenitentiae, ideoque apud confessarium qui directe illud absolvere possit accusandum erit.

Jamvero, juxta S. Alph. (l. c.) et sententiam communiorem, absoluteio haec indirecta tantum est, quando agitur de casibus episcopalibus, quia ex Trid. (Sess. 14. c. 7), extra mortis articulum, simplices sacerdotes nihil possunt in casibus reservatis. Alii, ut Ballerini (Ball. P. n. 685), eam absoluteionem directam putant quando impedimentum adeundi Superioris ejusve delegati est *perpetuum*, seu saltem ad quinque annos duraturum, vel *diuturnum*, seu saltem ad sex menses duraturum. Alii tandem, ut Palmieri (nota ad n. 665), eam semper directam esse opinantur, quia ita dicendum est de peccatis cum censura reservatis (n. 574), neque apparet ratio ob quam aliter de peccatis sine censura reservatis dicatur. Neque obstat locus Trid. a S. Alph. allegatus : nam ibi clare supponitur adesse potestatem adeundi superiores : “ Extra quem articulum, sacerdotes, cum nihil possint in casibus reservatis, id unum poenitentibus persuadere nitantur *ut ad superiores et legitimos judices pro beneficio absoluteionis accedant.* ” Hi tamen admittunt in hoc casu manere obligationem se sistendi Superiori, non quidem ad confitendum, sed ad poenam congruentem vel salutaria mandata ab eo recipienda ; ac proinde practice fere idem onus absoluto maneret. Ne ergo diutius huic controversiae immoremur, sequentia tantum ad praxim notabimus :

1° Qui impeditur quominus personaliter adeat episcopum, non tenetur adire confessarium qui specialem facultatem obtinuerit absolvendi a reservatis. Nam Jus non obligat reum nisi ut personaliter adeat Superiorem : unde, si id praestare nequit, ad aliud non tenetur. Attamen, ne maneat obligatio postea adeundi Superiorem, praestabit suadere iis qui brevi tantum impedimento detinentur, ut confessarium speciali facultate praeditum adeant. Cfr. S. Alph. l. 7. n. 89 ; Lehmk. II. n. 414. Alii (Ball. P. n. 685) etiam putant tunc strictam obligationem incumbere adeundi eum qui privilegio absolvendi donatus sit.